

SABINUS DELICIIIS SUIS SAL.

Vereor ne non liceat haec mihi scribere, sed nunc tamen oporteat exaudias, quid evenerit. Mane profectus prima luce urbem assecutus sum ad negotia mea agenda. Ubi primum eam ingressus sum, haec facies oblata est: quocumque verteres, videas primum turbas hominum per angiportus currentes, tum mercatores clamantes, qui pollicitationibus falsis illicant, denique meretrices procis verba dantes. Quomodo talia totam vitam ferantur? Quo penitius ingredior, eo magis me taedet pestilentis odoris e Tibere surgentis etiam peioris quam hara. Et est mihi angor, ne, ubicumque, seu in foro sive in remotis viis, verser, ab aliquibus furibus spolier opibus...

At maximum malum impietas! Num credas istos urbanos, nisi sperarent se ullum bonum accepturos, nostros deos culturos fuisse? Minime! Urbem incolentium quam maximum lucrum facere interest, quin respectum habent, utrum alicui hoc modo agentes noceant an non. Ceterum semper se et meliores et doctiores et daedaliores quam qui vitam ruri agant putant; negotiosi per urbem cursitant ac, tamquam si Marones aut Nasos sint, qui poetae e Roma orti non sunt, loquuntur. Praeterea urbis incolae e mercibus extra urbis moenia productis apti sunt; quid agerent isti, nisi rustici agrestesque frumentum in hiemem providerent aut curarent, ut venalium congestus tabernas assequerentur incolumes? Hoc unum affirmo et perspicuum sit verum esse: τῆς κόγχης μαργαρίτην οὐκ ἐξανθεῖν μὴ περιβαλοῦσης. Rusticus dici malebam quam diutius in hac urbe manere aut numerari in iis, qui omnem aetatem inania efficientes conterunt. Non igitur habes, quod hanc urbem venereris. Genuinos quoque amicos non invenies: ut homines in eadem domo inhabitant, sic non sciunt, quae negotia accolae in dies agant aut utrum familia super vel subter incolentis valeat. Non commemorem patronos, qui sine nomenclatore ne nomina quidem gentilia clientum noverunt et quibus illi cordi sunt, quamdiu negotia gerunt. At finis huius lamenti mihi faciendus est, nam in villa ipsa clientes me otiosum esse non sinent. Polliceor autem me posteram epistulam scripturum. Fatendum mihi demum est non multum interesse, quotiens te relinquam: ad te, Roma, iterum atque iterum revertor atque revertar. Vale.